

poteras: festiuè grauiusque. Quo responso (vt ait idem Cicero) satis apertè declarauit, nihil habèdum esse, quod fieri posset ostentum.

ALIVD.

Eiusdem generis illa referuntur: Bis bouem humanis vocibus locutum. Semel. C. Volumnino, & Seruio Sulpitio Cos. vsque ad horrorem astantium, sed quid eo sermone dixerit, non produnt, nescio an vt secretum esset orauerit, Iterum bello Punico secūdo admonuit: Caue tibi Roma fortè, quia mutus aruspex, mutis aruspiceibus, spirantia viuorum animantium exta loquebatur, illa queque terrificas: Pluisse laceratas carnes. Puerum in foro Boario editū elephantini capitis mole mirabilem. Apud Antium messorum cruentas spicas collegisse, & quod penè murium portentum exæquauerit, in Gallia lupum vigili cuidam, è vagina gladium extulisse: certè si hoc monstrum est, fuerant aruspices consulendi, dum canis olim meus me spectante, enses aggressori suo non è vagina, sed è manibus e ipuit, idque quo similis monstrum fiat, in Galliis accidit, & quoniam canis meus quod non putaueram,